



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis  
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et  
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in  
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus  
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum  
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque  
omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Usuris, & interesse, Pars II. de Cambiis, Pars III.  
de Censibus, Pars IV. de Societatibus Officiorum

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XXIII. Romana fideicommissi de Alicornis. De valida vel invalida  
extinctione census facta cum hærede gravato in præjudicium vocatorum  
ad fideicommissum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74112](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74112)

ROMANA  
FIDEICOMMISSI  
DE ALICORNIS  
PRO  
CORNELIA ALICORNA  
CUM  
JOANNE ANTONIO RUSCA.

Causa decisus per Rotam pro Cornelio.  
De valida vel invalida extinctione census factus cum hærede gravato in præjudicium vocatorum ad fideicomissum.

S V M M A R I V M.

- 1 Causa controversia.
- 2 Census extingui potest cum hærede gravato seu possidente fideicommissi, sed declaratur.
- 3 Licet fructus usurari ex tenuitate sortem ipso jure, quando tamen id limitetur favore tertii.
- 4 De alio causa indebita extinctionis census non servata forma praescripta in instrumento ob interesse tertii.

D I S C . XXIII.

ARIAE habita fuerunt inter istas partes controversia, tam super purificatione fideicommissi, quam super destractionibus, præsertim ve- rò super extinctione cuiusdam census, quam Rusca fideicomissa- riis prætendebat per debitorem Corneliam auctorem male factam esse cum Enea hærede gravato, suamque prætensionem auctor fundabat in decisionibus editis in Romana fidelium censu 22. Junii 1646. coram Curia confirmata 30. Maii 1653. coram eadem, ubi contra Monasterium S. Petri ad Vincula debitorem consimilis census ad istud fideicommissum pertinentis, deciditur pro auctore tanquam fideicommissario super invalida extinctione facta cum eodem Enea, ob non servatam formam in instrumento censuali præscrip- tam restituendi sortem non liberam, sed vinculatam in monte Pietatis, non solvendam nisi ad effectum in- vestiendi ad communum fideicommissum.

Quamvis enim recepta propositione sit, censum validè extingui posse cum hærede gravato, neque debito- rem censuarium teneri esse sollicitum deinvesti- mento, vel dissipatione pecuniarum restituta, cum sufficiat auctum esse gestum cum legitimo possidente, sibi- que imputet fideicommissi ordinatio, cur minus fide- lem administrationem sua hæreditatis depuraverit ex deducis per Cenc. quæsi. 109. num. 58. cum sequen. & alios, de quibus in eisdem decisionibus, & in Romana Censu 15. Junii 1654. coram Buchio, Camerinen. dotis Ecclesiæ 9. Maii 1653. Melio, &c in aliis, nam est propositio ubique recepta.

Attamen id fallit, quando in ipso instrumento ad- ducta est lex, juxta quam restituti debeat premium pro Card. de Luca Decensib. par. III.

extinctione, tunc enim si eadem legi spreta debitor pecuniam liberè creditori restituit, ad iteratam solutionem tenetur, atque hoc iure vivitur, ita etiam ipsa naturali ratione docente, cum alias gravatorum dissipationibus consili non possit, neque possent practi- cari cautelæ investimentorum pretii in venditionibus, ut in proposito multipliciorum habetur in Romana fructuum substitut de regalibus diso. 23.

Idque adeò verum, quod etiam si fructus tanquam indebet soluti de jure venirent imputandi in sortem, illamque ipso iure extenuarent, nihilominus si fors vinculata est ad favorem alicujus tertii, vel ratione fideicommissi, vel ratione evictionis ut supra, tunc dicta imputatio non iurat, sed jus remanet ei, qui indebet solvit reperiendi ab eo, cui solutum est, firmo remanente debito sortis pro iure tertii ut in Romana Sal- viani 20. Martii & 19. Junii 1651. coram Veroff. qua- rum secunda est 175. num. 7. part. II. recent.

Scribens pro Cornelio rea conventa, non negabam præmissorum veritatem, quoties factum assisteret, quia nempè in instrumento census tale vinculum adjectum esset, sed difficultas tollebatur ex facto, quo- niam instrumentum censuale hujusmodi legem adje- citam non habebat, ideoque non ex eo, quod Rota ad favorem ejusdem fideicommissi in consimili censuita judicasse, sequebatur ita in omnibus aliis censibus ad idem fideicommissum spectantibus judicandum esse, dum id non provenit à regula generali juris, sed à na- turâ pactorum & facti circumstantiis.

Dicta verò conclusio de invalida extinctione cen- sus non servata forma adjecta pro cautela & indemni- tate tertii, canonizata etiam fuit me scribente pro hæ- redibus Marchionis Francisci Ursini in Romana cen- sus. Martii 1669. coram Buorlemont: quoniam cum pro dote Matris dicti Francisci Neapolioni ejus patri constituta esset dos scutorum 3.m. in pecunia sub pac- to & vinculo investimenti, atque ex his data essent ad censem scuta 3.m. illis de Matthæis cum dicto pacto ut in causa redemptronis fors deponi deberet in S. Monte Pietatis vinculata ad effectum investiendi pro cautela dotis, dictoque pacto neglecto lors eidem Neapolioni restitura esset liberè. Hinc assumpta dis-putatione, an constaret de valida extinctione, respon- sulum fuit negativè ut supra, & merito, quia ob interessu- tertii non poterat dicta forma sperni, cum alias in- vestimentorum cautela omnino inane, ac fatuæ rema- nerent.

Et licet scribentes pro debitoribus insisterent in propositionibus generalibus, quod recte solvit pro- prie creditoris, atque fit distractus cum eo cum quo est contractus, neglectis etiam cautelis, & vinculis que per creditorem remitti potuerunt, Attamen id recte procedit in præjudicium ipsius creditoris, qui potest ejus juribus & cautelis renunciare, ac haben- tiu[m] causam ab eo, in quibus terminis procedunt dictæ propositiones, ac authoritates quas desuper habemus, non autem in præjudicium tertii pro- cuius cautela & indemnitate hujusmodi

pacta, & vincula adjiciuntur, at- que hæc videtur certa veritas.

\*\*\*

\*\*

D 2

ROMA-